

destructa, pergite urgere illius obligatio. Excipe tamen, si per unicam illam comestionem non possit ille commode reliquo die ieiunare. — S. Lig. *ibid.* — Vide *Casus, de ieiunio et abstinentia*, a n. 458. ad n. 467.

CAPUT II.

DE CAUSIS A IEIUNIO EXCUSANTIBUS

Causae excusantes a ieiunio ad tres praecipue revocari solent, scilicet 1^o ad impossibilitatem sive physicam, sive moralem; 2^o ad pietatem vel charitatem; 3^o ad dispensationem, sicut de aliis praeeptis dictum est.

507. **Resolves.** — 1^o Excusantur a ieiunio pauperes ostiatim mendicantes, aliique omnes, qui nec habent, nec sibi providere possunt, unde aequam refectionem comparent. Ad hanc vero non sufficiunt panis et fructus, nec offa cum pane et fructibus, nec panis et vinum tantum, nisi forte uno vel altero die (1). — S. Lig. n. 1033.; *Hom. apost.* n. 23.

2^o Excusantur aegroti, infirmi, convalescentes et debiles, v. gr. qui febris tertiana vel quartana laborant, vel ab ea convalescunt; ii praeterea, qui nisi his reficiantur, notabilem ex vacuitate stomachi capitis dolorem aut vertiginem patiuntur. — S. Lig. n. 1033.-1034.

3^o Excusantur illi, qui exercent opera admodum laboriosa, ut arare, fodere, secare lapides, onera gravia portare, et alia huiusmodi. — S. Lig. n. 1041.

4^o Excusantur famuli et famulae aut alii eiusmodi, cum tot tantisque occupantur laboribus, ut ieiunium cum his coniungi absque magna difficultate vel incommodo non possit; item iter pedibus agentes per notabile tempus cum magna defatigatione. — S. Lig. *ibid.*

5^o Non autem *per se et ordinarie* excusantur tonsores, sartores, pictores, scribae, famuli, pedisequi, typographi qui praelum non versant, sed characteres tantum disponunt, caeterisque similibus operam dantes. S. Lig. n. 1041. — Reuter, etc.

508. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An iuvenes viribus validiores ieiunare teneantur ante 21^{um} aetatis annum expletum?*

Resp. Neg., quia lex, ut accipitur et consuetudine approbata determinatur, obligat tantum eos, qui annum 21^{um} expleverunt: in hoc enim attenditur ad id tantum, quod communiter accidit. Suadendum tamen

(1) Ista limitatio, unius forte vel alterius diei, non est S. Alphonsi, qui imo rationem hanc reddit, cur eiusmodi pauperes deobligentur (lib. 3. n. 1033.): *Licet enim* (inquit) *is esset ad huiusmodi obsonia assuetus, tamen ideo se sufficienter*

sustentat, quia pluries in die, et pluries in magna quantitate se reficere solet us cibis, qui modicae sunt sustentationis. Quae quidem S. Alphonsus affirmat cum communi DD. sententia.

est iuvenibus, ut pro modo suae aetatis interdum ieiunent, quo facilius, cum tempus obligationis advenerit, ieiunii legem servare queant. — S. Lig. n. 1035., etc.

509. — **QUAER.** 2^o *An excusentur a ieiunio senes sexagenarii* (2).

Resp. 1^o Excusantur sane, si sint viribus debiles, ut patet. Imo excusantur etiam iuxta communem sententiam in dubio de validitate virium; quia tunc praesumptio stat pro earum imbecillitate. — S. Lig. n. 1036.

Resp. 2^o Si viribus polleant, *controvertitur*. Prima sententia negat, eos ieiunii lege eximi, quia illi, qui in ea aetate vires validas habent, ut senes non reputantur. — Laymann, Antoine, Collet, etc. *Haec quidem sententia est probabilis* (ait *ibid.* S. Alphonsus), *sed non minus probabilis est sententia opposita, quam tenent Sanchez, Roncaglia, Salmant...* Ratio est, tum quia sic fert universalis consuetudo, ut communius testantur Doctores; tum quia alias esset res multis scrupulis obnoxia, examinare an aliquis sexagenarius sit, necne sufficienter robustus ad ieiunium sustinendum. Sed ratio potior est, quia huiusmodi senes, tam ob virium imbecillitatem, quam ob defectum caloris, nequeunt simul alimentum sufficiens sumere, egentque cibo frequentiori, et licet nonnulli in tali aetate robusti videantur, eorum tamen robur est de facili illusivum et inconstans, cum negari non possit, in huiusmodi senibus vires deficere et prolabi in interitum. Hinc commune adagium: Senectus ipsa est morbus (3).

(2) Sexagenarios hic intelligi posse, qui annum sexagesimum dumtaxat inchoaverint, tradit post alios Diana tom. IV. Tr. 6. res. 5. n. 1-2. et res. 8. n. 3.

(3) Quod de ieiuniis ecclesiasticis dicitur, id ipsum statui potest de ieiuniis, quae ex Regula servant Religiosi: nam et ab his sexagenarii excusari poterunt, nisi forte (ut notat S. Alph. lib. 2. n. 139.) observantiam ieiunii expresse usque ad mortem promiserint.

Extendi haec norma potest ad eos quoque, qui aliqua hebdomadaria aut menstrua ieiunia in totam vitam voverint. Sed itidem excipe, si quis cogitans de senili aetate expresse obstringere sese usque ad extremum vitae voluerit.

Quaestionem subnectunt hic DD. (Vid. S. Alph. lib. 3. n. 1037.), an sexus debiliior, utpote qui citius senescit, a ieiunio quoque citius excusetur, et fere contro-

versiam de anno quinquagenario movent. Qui negant excusari, moventur, quod licet citius senescat mulier, tamen minus ieiunio maceratur, et minori indiget alimento. Alii vero affirmant, et illud urgent, quod nemo negat, scilicet valere aequae pro viris ac pro mulieribus, quod *senectus est morbus*. Nec sane satis apparet, cur ea, quae de senili aetate animadvertit S. Alphonsus pro viris, pro mulieribus aequae non valeant. Quod si minori mulieres indigent alimento, seu potius si abundantiori alimento ferendo prae debilitate sunt impares, hoc potius evincet, eas a lege, quae unicam comestionem concedit, excusare, cum unica exigua comestio sustentandis viribus par esse nequeat.

Caeterum sapienter de hac re concludit Sanchez (*Cons.* lib. 5. cap. 1. dub. 4. n. 3-4.): *Qui ante sexagesimum annum sunt iam senes et debiles, excusantur.*

510. — QUAER. 3^o *An excusentur a ieiunio fabri, artifices, etc., si sint adeo robusti, ut ieiunare sat facile possunt?*

Resp. Affirm., probabiliter, quia consuetudo eximit generatim omnes,

Tamen cum fuerit dubium de impotentia, Confessarius debet attendere, ut necessitati provideat cum minima legis iactura; ut si fuerit satis, ut horam praeveniatur, vel nocturnam refectionem indulgentius faciat, debeat hoc concedere, et non ex toto ieiunium relaxare.

Porro S. Alphonsus de praesenti quaestione (l. c. n. 1037.) sic refert auctores: *Prima sententia affirmat* (feminas quinquagenarias excusari, *quam tenet Escobar, Renzius, et Narbona, Machad., et Pellizzarius apud Diana, et hanc approbat etiam Sanchez, qui licet in tractat. de matrimonio in dubium revocaverit, in opusculo tamen Consiliorum cum Caietano et aliis eam absolute docet: et probabilem putant Viva, et Mazzotta. Secunda vero sententia, quam tenent Laymann, Salmantic., Tamburini, Croix, Holzmann, Elbel, Anacletus, negat, quinquagenarias excusari, nisi etc.* Quo autem fundamento nititur sententia negans? Ut a Laymann incipiamus, hic (lib. 4. Tr. 8. c. 3. n. 2.) mere obiicit auctoritatem Sanchezii. Atqui Sanchez prorsus stat contra Laymann. Nam licet (ut ait S. Alphonsus) Sanchez in tract. de matrim. in dubium revocaverit, in opusculo tamen Consiliorum (lib. 5. c. 1. dub. 4. n. 6.) eam (sententiam nempe quae feminas quinquagenarias excusat) absolute docet: et hoc Consiliorum opus est posterius; nam allegatur ibi Tractatus de Matrimonio. Laymann igitur mere innititur falso supposito. — Anacletus (Tr. 10. dist. 2. q. 4. n. 64.) mere nititur auctoritate Sanchezii et Laymann. Atqui ex dictis utrumque hoc fulcrum corrui. — Tamburini (Dec. lib. 4. cap. 5. §. 7. n. 5.) remittit ad Laymann, Fagundez, et Io. Sanchez. Atqui tum Fa-

gundez (De 4. Praec. Eccl. lib. 1. c. 8. n. 11.), tum Ioan. Sancius (Select. disp. 54. n. 11.), non secus ac Laymann, mere per falsum suppositum nituntur auctoritate Sanchezii, quasi oppositum docuerit. Ergo et suffragium Tamburini inani superstruitur fundamento. — Elbel (part. 3. conf. 18. n. 507.) mere allegat Laymann et Tamburini. Atqui ex dictis utrumque hoc suffragium est deficiens. — Croix (lib. 3. p. 2. n. 1318.) suam sententiam firmat allegando Laymann, Fagundez, Sanchez, et Tamburini. Atqui, uti, visum est, allegationes istae causam non iuvant. — Salmanticenses (Tr. 23. cap. 2. n. 131.) praeterquam quod opinando mere probabiliter assertum suum fatentur, hoc ipsum deinde consuetis Fagundez, Io. Sancii, et Laymann testimoniis fulciunt, id est calamis quassatis. — Denique Holzmann (part. 3. Tr. 1. c. 3. n. 17.) dum duos scriptores pro nostra thesi addit, scilicet Cassianum a S. Elia, et Abreu (sicut et Croix l. c. addiderat Lottherium), mere opponit Sanchez et Babenstuber. Atqui Babenstuber (Tr. 6. disp. 1. art. 3. n. 3.) sola et ipse inani Laymann et Tamburini auctoritate suam opinionem communit, quibus addit, sicut et Holzmann, Sanchezium, qui, ut diximus, contrariae sententiae imo dux est. — En itaque quid valeant auctoritates, quibus innixus et S. Alphonsus est, ubi ait, se non audere primam sententiam dicere probabilem.

At, inquit, numquid auctores isti rationem aliquam intrinsicam non afferunt pro sua ipsorum opinione? — Resp. Afferunt utique, sed illas fere, quas et Sanchez deprompserat (De Matrim. lib. 7. disp. 32. n. 17.), et aequa lance ita perpenderat, ut sic concluderet: *Haec me ancipitem reddunt; et viris doctis a me consultis placuit, minorem aetatem feminis assignandam, quam viris; at dubitarunt*

qui eiusmodi artes exercent; leges autem non respiciunt id, quod raro et per accidens evenit, sed quod communiter et per se contingit. Negant autem etiam probabiliter Concina, Bonacina (4), etc. — *Haec secunda sententia* (ait S. Lig. n. 1043.) *speculative loquendo videtur probabilior, sed in praxi vix reperietur unus, qui ex huiusmodi labore non graviter relaxetur.*

QUAER. 4^o *An excusentur a ieiunio opifices iis diebus, quibus a labore abstinent?*

Resp. Affirm., si uno vel altero tantum die labores intermittant, ratione reficiendae laxitudinis, et servandarum virium ad proximos labores sustinendos. — Ita communiter.

QUAER. 5^o *An excusentur artifices divites, qui a labore diebus ieiunii cessare possunt?*

Resp. Affirm., probabiliter. Ratio est, quia interest Reipublicae, ne causa ieiunii operarii intermittant exercere artes, quibus ex suo officio incumbunt. Id etiam constare videtur ex declaratione Eugenii IV apud S. Lig. n. 1042. (5). Neque mens est Ecclesiae ut fideles ab ordinariis occupationibus impediatur. — *Ita communiter* (6).

de quantitate aetatis. Sed profecto quae numero praecedenti attuli... et ex communi existimatione probant, aequae dici senem feminam quinquagenariam ac virum sexagenarium. Et ideo aliis viris doctis haec pars arrisit. Et re necum considerata, et rationibus perpensis, existimo, nihil a ratione devium, nec mediocriter alienum a probabilitate diciturum, qui feminas quinquagenarias a ieiunio excusaverit, sicut viri sexagenarii excusantur. Sed deinde ista alia subdit, quae, ansam praebuerunt aliis quidem Sanchezium allegandi ceu feminas eiusmodi obligantem ad ieiunium, aliis vero reprehendendi ipsum ceu repugnantia loquentem. Mox enim scribit: *At dum aliud non apparuerit clarius convincens, tamquam probabiliorum eligo opinionem, quae sustinet, indiscriminatim de aetate viri et feminae ad excusandum a ieiuniis loquendum esse; et deservient praedicta, ne damnemus amplectentem opinionem, quae feminas quinquagenarias excusat. Verumtamen licet praedicta, ostendant, eam opinionem esse probabilem specu-*

lative loquendo, at in praxi censeo non esse tutam. Et haec quidem postrema verba videsis ea esse, quae post Laymann avide arripuerunt, et repetunt, quotquot Sanchezium allegant ceu feminas viris quoad ieiunium aequiparantem, damnantemque oppositam opinionem: itidemque ea sunt, propter quae Ioan. Sancius (l. c.) velut contraria loquentem Sanchezium traducit, cum re ipsa nulla causa appareat, cur probabilis practice habenda non sit opinio, quam speculative probabilem esse affirmat. Verum incassum ista omnia prolata fuisse dicet, quisquis id noverit, quod et S. Alphonsus, ut vidimus, testatur, Sanchezium in posteriori Opere quinquagenarias feminas absolute a ieiunio excusasse.

(4) Bonacina (De Ieiun. punct. ultim. n. 8.) loquitur de iis operariis, qui commode possunt ieiunare.

(5) S. Alphonsus (lib. 3. n. 1042.) sic refert Eugenii IV declarationem, quam et genuinam esse defendit: *Artifices laboriosas artes exercitantes, et rustici, sive pauperes, non tenentur ieiunare.*

(6) Vid. S. Thomam 2. 2. q. 447. art. 4. ad 3., ubi loquens de peregrinantibus haec

§11. — QUAER. 6^o *An peccent, qui sine iusta causa inusitatum laborem et cum ieiunio impossibilem assumunt?*

Resp. Affirm., per se, etiamsi in fraudem legis non agant; lex enim, quae ieiunium imperat, consequenter iubet, ne absque ratione apponantur causae, quae eiusdem satisfactioni adversentur. — Ita communiter.

Dixi *absque ratione*; quia iusta interveniente causa suscipere licet laborem cum ieiunio impossibilem, quamvis labor iste inusitatus sit, v. gr. ad maximum percipiendum lucrum, etc. Sola autem meri oblectamenti ratio nunquam sufficit, nisi alia causa honesta accedat. — S. Lig. n. 1046.

QUAER. 7^o *Quale iter iusta de causa pedibus susceptum a ieiunio eximat?*

Resp. Communiter aiunt, requiri ac sufficere iter § ferme leucarum, hoc est quindecim mille passuum: quod si vel perardua foret via, vel tempestas immitis, vel viator debilis, itinerique non assuetus, excusari posset itinere duarum leucarum. — S. Lig. n. 1047.

§12. — QUAER. 8^o *An vel quomodo excusentur concionatores, magistri scientiarum et Confessarii?*

Resp. 1^o Concionatores, qui quotidie vel fere quotidie concionem habent, communiter ratione pietatis ac muneris a ieiunio excusantur. Potiori etiam iure Missionarii, qui graviori defatigatione in Missionibus exercentur. Generatim loquendo non excusantur concionatores, qui ter aut quater tantum in hebdomada concionantur; sed in hoc standum est iudicio prudentium. — S. Lig. n. 1049.; *Hom. apost.* n. 34.

Resp. 2^o Magistri scientiarum excusantur, licet per unam tantum horam singulis diebus doceant, si studio et labore indigeant ad lectiones parandas; non autem ii, qui e scripto tantum tradunt lectiones iam prius ordinatas ac saepius repetitas. — S. Lig. *ibid.* Merito autem censent Sanchez et Azor, contra Salmant. et alios, excusari magistros grammaticae, si per 4 vel 5 horas doceant.

Resp. 3^o Confessarii non excusantur *per se*, sed tantum cum extraordinarium laborem subeunt, v. gr. cum pluribus succedentibus diebus confessiones audire debent, ut in Missionibus fieri solet, vel cum ita sunt debiles viribus, ut sine gravi incommodo poenitentium frequentiae satisfacere nequeant (7). — S. Lig. *ibid.* — V. *Casus*, n. 468. et seq.

habet: *Non videtur fuisse intentio Ecclesiae statuents ieiunia, ut per hoc impediret alias pias, et magis necessarias causas.*

(7) Quoad ista omnia, aliaque id genus, revocari semper debet praemissa S. Tho-

mae sententia, non esse intentionem Ecclesiae, dum ieiunia praecipit, ut pias ac magis necessarias causas impediatur. Adde itidem, intentionem Ecclesiae non esse, ut in hisce obliget eum notabili incommodo. Quisquis ergo vel concionari (etiam semel),

RESPONSA CIRCA IEIUNIUM ET ABSTINENTIAM A CARNIBUS.

§13. — 1^o Ad quaesitum: *Utrum in diebus ieiunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam intra horam decimam et undecimam matutinam, prandium vero differendo ad quartam vel quintam horam vespertinam?*

S. Poenitentiaria (die 10. Ian. 1834.) *respondendum censuit*: Si inversionis supradictae rationabilis aliqua extet causa, poenitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos.

2^o Ad quaesitum: *Utrum patresfamilias, cum in familia adest aliquis a lege abstinentiae a carnibus dispensatus, dispensationem ad omnes familiae personas indiscriminatim extendere possint?* (Ex italico exemplari latina versio).

S. Poenitentiaria respondendum censuit: Infirmatatem et aliud quodcumque rationabile impedimentum, de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium, eximere posse a praeepto abstinentiae in diebus esurialibus.

3^o Ad quaesitum: *Utrum, cum paterfamilias a lege abstinentiae a carnibus tempore Quadragesimae dispensatus non potest aut non vult cibos utriusque generis, esuriales scilicet et carnes, parari, eius filii aut familiares carnes edere possint?* (Ex italico exemplari).

S. Poenitentiaria (die 16. Ian. 1834.) *respondendum censuit*: Posse personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrisfamilias indultis, adiecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis, et de unica comestione in die pro iis, qui ieiunare tenentur. Ratio autem huius permissionis non est Indultum patrisfamilias concessum, sed impotentia in qua versantur filiifamilias observandi praeeptum. Sic declaravit S. Poenitent. die 27. Maii 1863. — Vide *Ephemer. Revue cathol. de Louvain*, Juillet 1863. Item, *Correspondance de Rome*, 17. Octobre 1863.

§14. — 4^o Ad quaesitum: *Utrum fideles exempti a lege ieiunii ob artes laboriosas, tempore Quadragesimae, cum esus carnis et lacticiniorum omnibus ad unam refectionem permittitur, possint carnibus et*

vel scientias tradere (sive paratas lectiones habeat, sive non), vel confessiones excipere (etiam ad brevem horam) ieiunando non possit sine notabili incommodo, mens Ecclesiae non videtur, ut propter ieiunium haec exercitia intermittat. Sapienter autem addit (*ibid.*) S. Thomas: *Videtur tamen, in talibus recurrendum esse ad Supe-*

rioris dispensationem, nisi forte ubi est ita consuetum, quia ex hoc ipso quod Praelati dissimulant, videntur annuere. Quae quidem non ad merum consilium pertinent, quando inspectis omnibus adiunctis causa non appareat sufficiens ad excusandum, licet sufficiens ad dispensandum videatur.

lacticiniis vesci pluries in die, haud secus ac in dominicis diebus eiusdem Quadragesimae, in quibus non urget obligatio ieiunii? (Ex italico exemplari).

S. Poenitentiarum (die 16. Ian. 1834.) *respondit*: Fideles, qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum Indultum concessum est, omnibus diebus Indulto comprehensis vesci carnibus aut lacticiniis, per idem Indultum permissis, quoties per diem edunt. Hoc autem non valet in dioecesi, cuius Episcopus auctoritate apostolica concedit fidelibus, ut feria 2^a, 3^a, 5^a temporis Quadragesimae possint semel in die vesci *carnibus* et ovis; iis vero, qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, permittit *ut ovis saepius in die utantur*. Sic declaravit *S. Poenitentiarum*, die 27. Maii 1863. — *Vide Ephemer. Revue catholique de Louvain*, Juillet 1863. — *Item, Correspondance de Rome*, 17. Octobre 1863.

3^o Ad quaesitum: *Utrum ii, qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, subiiciantur legi de non permiscendis epulis carnis et piscium, cum per Indultum carnes permittuntur?*

S. Poenitentiarum (die 13. Februarii 1834.) *respondit*: Consulat (quisque) probatos Auctores (8).

(8) Hac de re controvertitur inter theologos. Alii docent (ita Scavini App. II. in fine l. vol.), illos quoque subiici; nam lex, qualitatem ciborum respiciens, omnes rationis usu utentes obligat, adeo ut, si Indultum non esset, etiam illi a carnibus deberent abstinere: unde tota diversitas eo tantum respicit, ut quae una vice comedere possunt ieiunantes, ea, toties quoties voluerint, valeant comedere a ieiunio exempti. Alii vero, quibus subscribit Righetti, contrarium tenent; nam Encyclicae Bened. XIV, quibus ea mixtio prohibetur, de solis ieiunantibus loquuntur: ergo non ultra sunt extendendae; alioquin si nimis essent urgendae, a ieiunio dispensatis in unica tantum comestione essent indulgendae carnes, cum semel tantum ibi omnes indulgeantur.

(*) Verum ecce aliud responsum, profectum a C. S. O. Dubium fuit propositum ab

Episcopo Baionensi: *Utrum obligatio de non miscendis piscibus cum carne diebus quadragesimae attingat omnes, qui vi indulti carnibus vesci possunt vel solummodo eos qui ieiunant*. Responsum est: Die 23. Iun. 1875. *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam et detur decretum* 24. Mart. 1841. nempe ad dubium: *An lex de non permiscendis licitis et interdictis epulis eos etiam respiciat, qui ad unicam comestionem non tenentur, uti iuvenes antequam tertium compleverint septennium alique rationabiliter ab eadem excusati ob impotentiam et laborem*: Emi decreverunt: *non licere*.

Videlicet his quoque, qui a lege ieiunii, unicam comestionem praescribente, utcumque eximuntur, interdictum esse, ne carnes cum piscibus in eadem refectione vescantur. Ratio autem haud obscura est. Nam esus carniū per ieiunii dies sub hac expressa conditione indulgetur, ut quis-

315. — 6^o Ad quaesitum: *Utrum fideles dispensati a lege abstinentiae diebus Veneris et Sabbati, decurrente anno, quando non urget obligatio ieiunii, vesci possint piscibus simul et carnibus?* (Ex italico exemplari).

S. Poenitentiarum (die 13. Febr. 1834), *proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione Sanctissimo Domino Gregorio XVI., de ipsius Sanctitatis Suae mandato, respondet*: Permitti.

7^o Ad quaesitum: *Utrum diebus ieiunii tempore Adventus, a Pio VI. praescripti, permissis tamen lacticiniis, ei, cui propter infirmitatem licitus est esus carniū, interdicta sit promiscuitas carnis ac piscium?*

S. Poenitentiarum (die 8. Ian. 1834.) *respondit*: Affirmative, nempe non licere eiusmodi promiscuitatem.

8^o Ad quaesitum: *Utrum lege vetitae permixtionis cum carnibus, comprehendantur pisciculi sale siccati, seu encrasicholi (gallice anchois, italice acciughe, alici), harengi (gallice harengs, italice aringhe), aliaque his similia; an misceri possint ad instar condimenti alterius feruli?*

S. Poenitentiarum (die 10. Ian. 1834.) *respondit*: Pisces sale siccatos... vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita est.

9^o Ad quaesitum: *Utrum tempore ieiunii, ei, cui licitus est esus carniū, liceat miscere testacea marina, quae improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur, id est ostreae (gallice huitres, italice ostriche), caneros (écrevisses, gambari, granchi)?*

S. Poenitentiarum (die 16. Ian. 1834.) *respondit*: Testacea marina, quae improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio est prohibita.

10^o Ad quaesitum: *Utrum dispensati a lege abstinentiae a carnibus possint diebus, quibus urget ieiunii obligatio, valetudinis causa, vesci iure tantum carnibus condito, et de caetero cibos esuriales edere (sicut caeteri qui pisces edere queunt), ad legem abstinentiae, in quantum fieri potest, servandam?* (Ex italico exemplari).

S. Poenitentiarum (die 8. Febr. 1828.), *attente consideratis expositis, respondit*: Affirmative.

316. — Memoranda hic est et decisio S. Congr. S. Officii 25. Maii 1853. circa ieiunium vigiliae S. Petri pro iis regionibus, in quibus festum

quis hoc indulto uti velit, carnes cum piscibus in eadem refectione non permisceat. Atqui etiam illi, qui iusta ex causa a servanda unica comestione excusantur, carnibus nonnisi vi indulti vesci possunt.

Ergo et ipsi ad eam conditionem servandam tenentur.

Aliud idcirco foret dicendum, si quibus alio rationabili titulo, etiam citra indultum, carnibus vesci liceret.

S. Petri in sequentem diem Dominicam transfertur. Ita porro se habet: *In Congregatione generali sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis, habita in conventu Sanctae Mariae supra Minervam, coram Em. et Rev. S. R. E. Cardinalibus, contra haeticam pravitatem generalibus Inquisitoribus proposita scripta instantia, et praehabito voto Dominorum consultorum, iidem Em. ac Rev. Domini rescribi mandarunt, ieiunium in pervigilio festivitatis Sanctorum Apostolorum esse servandum (25. Maii 1853.).*

Quamvis autem ex multiplici decisione S. C. ieiunium a supradictis fidelibus servari debeat, non quidem in ipso pervigilio S. Petri, sed Sabato immediate praecedente Dominicam, ad quam remittitur Solemnitas SS. Apostolorum; attamen, si festum SS. Apostolorum ipso Sabbato occurrat, tunc *pridie* seu *feria VI.* ieiunabitur. Ita decisum a S. C. Concil. 22. Sept. 1858.

TRACTATUS DE IUSTITIA ET IURE

Tanta est tractationis, quam aggredimur, de iustitia et iure necessitas, ut ea inter praecipuas theologiae moralis partes merito reponenda sit: tanta vero difficultas, ut nisi perspicuitas et ordo laborem levent, in plurimis ad hanc materiam pertinentibus vix quisque sese possit expedire. Iustitia enim latissime patet, ac plurima amplectitur iura et officia, quibus humanae societatis membra invicem devinciuntur. Quanti vero momenti haec tractatio sit, ex eo apertum est, quod hisce praesertim temporibus homines multos videre est sua profundere, aliena invadere, iura omnia subvertere, ut iugem voluptatum famem exsaturare possint. Quibus infestissimis Reipublicae malis ut Ecclesiae ministri medeantur, regulas iustitiae et iuris apprime callere debent. Ipsorum enim est aberrantes ad recta principia revocare, et iurium officiorumque aequitatem summo zelo curare. Quamobrem in hac potissimum tractatione versanda ferventi oratione assiduoque studio utendum est.

Agendum 1^o de natura et principiis iustitiae et iuris; 2^o de violatione iuris, sive de iniuria; 3^o de reparatione iuris, seu de restitutione.

PARS PRIMA

DE NATURA ET PRINCIPIIS IUSTITIAE ET IURIS

CAPUT I.

DE NOTIONIBUS GENERALIBUS IUSTITIAE ET IURIS.

ARTICULUS I. — DE NATURA IUSTITIAE.

§17. — DEFINITIO. Iustitia latiori sensu (1) significat aliquam aequalitatem, vel charitatem, aut virtutum universalitatem. Sic Christus ait *Matth. 5. 6. : Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam!* In strictiori autem

(1) Advertunt communiter DD., *iustitiae* nomen multiplici sensu usurpari etiam in sacris litteris, ut interdum significet 1^o omnium virtutum complexum, 2^o cha-

ritatem seu gratiam sanctificantem, 3^o generatim actum rectum, 4^o quemlibet habitum bonum, 5^o denique virtutem specialem e quatuor cardinalibus.